

VIII

valescant. Mihi quidem ipsi quum vitae practicae vsus pene multa satisque luculenta eiusmodi morborum exempla obiecerit, vnde horum vis et grauitas intelligi ac iudicari possit, non incongruum visum est, quaedam huc spectantia cum lectoribus communicare, et per huius loci opportunitatem nonnulla vel obseruata vel monita adicere.

Omnino autem hac in re tenendum est, varia molimina eruptionem dentium antecedere, neque spasticos tantummodo animaduerti motus, qui tota infantum corpuscula agitent, sed respirationem etiam haud paullo difficiliorem effici, et praeter haec multa alia apparere symptomata, quae alium subinde morbum vel minentur, vel fere excitent. His dictis quo magis fidem faciamus, ex eo, quod mox commemorabimus, exemplo veritatem rei intellectam cupimus. Infans quidem quatuor annorum febre anomala continua corripiebatur, quae singulis diebus, sed diuerso tempore accedebat. Alius erat obstructa, magnae praecordiorum anxietates, et praeter ea genae rubentes statum aegrotantis comitabantur. Ita infans tres dies noctesque inquietas, nullo victu, ne leuissimo quidem, sumto, transfegerat. Accersitus ego quum paullo curiosius in morbum inquirere coepissem, statim inueni, infantem copioso eoque inordinato victu antea nutritum, neque duo fere per annos adhibito remedio laxante, saburra in primis viis collecta liberatum fuisse. Itaque causam febris huic rei inesse ratus, necessarium esse existimaui, apozema laxans exhibere, quod cum infans respuisset, alia remedia, quamquam sine exoptato successu, elegi. Interim abdomen distentum tumebat, et febris indies magis magisque augebatur. Quapropter clysmata antispasmodicum suasi, et epithemata abdomi-